

LVNÆ DIE 15 M. IVNII A. 2009

A.d. XVII Kal. Iulias a. MMIX

I 5 0

M E L I S S A



**FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA**

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ  
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

REDACTRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://web.me.com/fundatiomelissa>

Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P701451




## DE EVROPÆO DIARIO SCHOLARI

Quid re vera scimus de Europa, in qua vivimus? Valemusne omnes viginti septem Unionis Europæ civitates singillatim enumerare? Scimusne quando Communitas Europæa hodiernum nomen accepit, quod est Unio Europæa? Et quid curet Commissio? Quot sint commissarii et quid iidem agant? Quæ sit utilitas Consilii Europæ? Quo singulari modo suffragium dent singulæ civitates? Quo modo condantur leges? Et quæ leges prævaleant: nationales an Europææ? Quid sibi velit Curia Europæa iustitiæ, Curia rationum, Consilium regionum? Et quid hæc omnia ad nos? ¶ Nescivimus his omnibus quæstionibus respondere? Tum tempus est in scholam redeundi et diarium « Europa » inscriptum una cum discipulis legendi. ¶ Diarium « Europa » pertinet ad opus fundatum « Génération Europe »; quæ associatio non lucrativa (neque politica) anno 1995 condita est, patrocinate Commissione Europæa, ut scholarum discipulis præberetur instrumentum pædagogicum ad Europam spectans. Patet enim iuvenes Europæos Europæ historiam, instituta, leges, utilitates, rationes non plane habere compertas. Ad has autem notiones infundendas, peropportunum instrumentum visum est diarium scholare: nam diarium scholare discipulis solet esse comes fidelis; in eo pensa aliasque res agendas inscribunt; eo colloquium instituunt inter parentes et magistros; eius paginas in die compluries evolvunt. ¶ Sic natum est propositum diarii Europæi. Quod vocatur « Agenda Europa », « Europese Schoolagenda », « Diario Europa », « Eurooppa-kalenteri », « Europa Diary » et ita porro, omnibus linguis Unionis Europææ. Cum eius editio fiat sumptibus Commissionis Europææ, gratuito mittitur ad omnes scholas, quæ id petunt. ¶ Quid autem inest? Præter solitas paginas

cottidianæ vitæ scholari destinatas, centum fere paginæ dicantur non solum Europæ eiusque institutis, sed etiam multis rebus, quæ maxime spectant ad iuvenes: agitatur inter alia de natura tuenda, de vita œconomica, de civilitate, de sanitate, de munere inveniando. Adduntur nuntii recentes, testimonia iuvenum Europæorum, consilia et quæstiones cogitationem inducentes. Etiam magister suum habet libellum, quo proponitur diarii usus didacticus, id est exercitia, ludi, argumenta disputanda. Et hæc omnia, ut decet, congruunt cum singularum nationum officiali programme scholari. ¶ Hoc ergo inceptum, ante nonnullos iam annos initum, nunc magis magisque innotescit. At nuper moderatores foundationis « Génération Europe », quo communem Europæ historiam cultumque civilem magis illustrarent, Latinam eiusdem diarii translationem in lucem edere voluerunt, quam nobis mandaverunt conficiendam. ¶ In editione Latina nonnullæ paginæ additæ sunt ad ipsam linguam peculiariter spectantes: charta imperii Romani, brevis conspectus historiæ litterarumque Romanarum, proverbialia, regulæ de accentu ponendo, annus Romanus... ¶ Denique præcipua differentia inter Latinam editionem et ceteras in eo est quod, cum lingua Latina nullius civitatis (eheu) iam sit lingua, nulla civitas pro sua parte pecuniam dedit publicationi, nec ergo fundatio « Génération Europe » eam potest, ut vernaculas, gratuito circummittere. Pretium tamen non est magnum, atque insuper, usque ad diem 30 m. Iunii, præconii causa est deminutum. Spectate hic: [www.generation-europe.org/](http://www.generation-europe.org/) ❧

F. DERAEDT



## NOSCE TE IPSVM !

– scripsit Ericus Palmén –

**H**odie, cum orbis terrarum globali crisi et œconomica et œcologica necnon bellis passim sævientibus laborat, fortasse par est memoria repetere, quidnam olim de hominis in natura condicione iam antequam religio Christiana valere cœpit, quidam viri illustres Græci et Romani disseruerint.

Quicumque olim ad oraculum Apollinis consulendum Delphos ascenderat, templum illius dei ingrediens in pariete vestibuli incisum aspiciebat hæc verba : Γνωθὶ σεαυτόν, id est « Nosce te ipsum ! », quæ pro uno habentur e celeberrimis præceptis Socratis, præclari philosophi Græci.

SOCRATES – AMICUS SAPIENTIÆ

Socrates, quo sapienterem Pythia Delphica neminem esse declaraverat, quinto ante Christum natum sæculo Athenis vixit. Complura, quæ de eo cognovimus, per dialogos Platonis, discipuli eius, nobis tradita sunt. Etiam Xenophon, variorum auctor operum, commentarios de eo memoriæ prodidit.

Socrates erat vir sui generis. Cotidie modico vestitu indutus ac nudis pedibus in viis urbis ambulare solebat et cum quovis obvio tamquam consulendi causa sermonem conferre. Idem colloquio orto simplicia sciscitando omnia argumenta eius, quocum sermonem contulerat, paullatim ita refellebat, ut hic se velut in insidias inductum esse sentiret. Ne sophistarum quidem scholas frequentare dubitabat et defectus sapientiæ docentium patefacere. Suam sapientiam Socrates in eo positam esse dicebat, quod solus omnium hominum sciret nihil se scire.<sup>1</sup>

Contra ac sophistæ, qui se doctores sapientiæ esse prædicabant identidemque dictum Protagoræ repetere solebant, hominem esse mensuram omnium rerum (Πάντων μέτρον ἄνθρωπος ἐστίν), Socrates modeste se « philosophum » iudicabat, id est amicum sapientiæ, non doctorem. Unumquemque ad sapientiam tendere oportere censebat, perfectam autem sapientiam nonnisi diis immortalibus esse concessam. Præcepto suo supra commemorato non solum hominem, ut se ipsum noscat, monere vult, sed etiam docere virtutem e scientia oriri. Rectam vivendi rationem a quovis, si vocem suam internam sive δαιμόνιον audiatur, disci posse ; quicumque, quid rectum sit, vere perceperit, eum ipsum etiam recte acturum esse.

Socrates multos fautores idemque multos habebat adversarios præcipue inter eos, quorum insciam palam ostenderat. Anno a.Ch.r.n. trecentesimo nonagesimo nono in ius vocatus, quod deos contempsisset et

falsis præceptis iuventutem Atheniensem corrupisset, capitis damnatus est et in vincula coniectus. Ibi quoque amicos et discipulos, quibus ad eum erat aditus, sermonibus docebat et consolabatur. Hos fortunæ eius magnopere miserebat ; at nonnullis eorum hortantibus, ut fuga salutem peteret, Socrates id viro sapienti indignum esse respondit. Etiam supremo die de immortalitate animi disseruit. Vesperi poculum veneni plenum a custode allatum est ; quod ille ne vultu quidem mutato exhausit.

Quo facto discipuli, qui aderant, universi in lacrimas effusi sunt. Tum Socrates, tranquillo animo mortem exspectans : « Amici », inquit, « quid hoc est negoti ? Ob id ipsum omnes hinc mulieres dimisi, ne quid supervacuæ lamentationis oreretur ; audivi enim hora mortis silentium retineri oportere. »<sup>2</sup>

HOMO SAPIENS – BESTIIS SUPERIOR ?

Verba Socratis Γνωθὶ σεαυτόν postea Cicero non modo Latine reddidit, sed quibusdam locis operum suorum philosophicorum etiam fusius tractans aliter, atque ille, interpretatus est. Socrates enim imprimis monuerat hominem nonnisi hominem esse, id est mortalem atque inferiorem deis ; Cicero autem Apollinem ita fere dicere voluisse censebat : « Nosce animum tuum ! », sive « Scito te hominem esse ac bestiis superiorem, quia animo divino præditus es ! »<sup>3</sup>

Quanti Cicero hominem æstimaverit, e multis locis operum eius philosophicorum apparet, imprimis eorum, quibus tituli sunt *Tusculanæ disputationes* et *De officiis* et *De legibus*. Dicit inter hominem et bestiam hoc maxime interesse, quod bestia ad sola præsentia se accommodet nec multum sentiat præteritum aut futurum, homo autem, cum rationis sit particeps, causas rerum cernat et consequentia intellegat ac præsentibus futura adiungat – denique totius vitæ cursum videat et ad res necessarias se parare sciat.<sup>4</sup> Nullum aliud animal præter hominem sentire, quid sit ordo, quid deceat in factis dictisque ; soli homini sensum esse pulchritudinis et convenientiæ partium.<sup>5</sup> Hominis proprium esse etiam desiderium veri investigandi et res occultas cognoscendi ;<sup>6</sup> ita fieri, ut cælum et terras et maria perspiciat ac tandem se non popularem alicuius definiti loci, sed civem totius mundi esse agnoscat.<sup>7</sup> Nihil esse homine dignius quam sapientiam ; neque philosophiam aliud esse quam studium sapientiæ.<sup>8</sup>

Omnia de homine supra exposita quadamtenus vera sunt. Nonnumquam tamen Cicero in virtutibus hominis laudandis modum excedit. Neque enim homini tantummodo, ut ille contendere videtur, natura « præci-

puum quandam amorem in eos qui procreati sunt », ingenerat ; immo cuiuslibet animantis proprium est « parare ea, quæ suppeditent ad cultum et ad victum, nec sibi soli, sed coniugi liberisque » pariter consulere. <sup>9</sup> Hoc Cicero ipse quoque fatetur dicens commune « animantium omnium » esse coniunctionis appetitum « procreandi causa » et curam quandam « eorum, quæ procreata sunt ». <sup>10</sup> Nonne hoc ostendit ne bestias quidem « ad sola præsentia » se accommodare, sed sua ratione aliquatenus etiam præsentibus futura adiungere, licet « totius vitæ cursum » sine dubio minus dilucide videant quam nos homines ? Iam Ciceronis temporibus nota erat e.g. formicarum industria, quam Horatius in his Satirarum versibus humanæ « sapientiæ » plane antepone videtur :

Ille, gravem duro terram qui vertit aratro,  
perfidus hic caupo, miles nautæque per omne  
audaces mare qui currunt, hac mente laborem  
sese ferre, senes ut in otia tuta recedant,  
aiunt, cum sibi sint congesta cibaria, sicut  
parvula – nam exemplo est – magni formica laboris  
ore trahit, quodcumque potest, atque addit acervo,  
quem struit, haud ignara ac non incauta futuri.  
Quæ, simul inversus contristat Aquarius annum,  
non usquam prorepat et illis utitur ante  
quæsitis sapiens, cum te neque fervidus æstus  
dmoveat lucro neque hiems, ignis, mare, ferrum,  
nil obstat tibi, dum ne sit te ditior alter. <sup>11</sup>

Perlectis his versibus nonne necesse est fateamur poetam eximie « ridentem dicere verum » <sup>12</sup> scivisse ? Neque tamen opus est dubitare, quin homo animal rationis particeps sit, dummodo ne simul oblique contendamus formicas animalia esse rationis omnino expertia – dummodo concedamus eas in cibariis congerendis rationalius agere quam hominem, cui bona sua augenti ea principalis cura esse videatur, ne in certamine divitiarum colligendarum ab altero vincatur. Nonne idem fere nostra ætate in totis populis valet – nonne proprium lucrum et victoria nationalis in simili certamine, proinde ac si de ludo quodam pedifollico ageretur, ubique terrarum magis quam ullæ aliæ « virtutes » affectantur ? Ac nonne ex pœna capitali, qua Socrates damnatus est, elucet multos homines veritatem potius horrere quam diligere ?

Porro multis in rebus homines ipsi, licet divino animo præditi esse prædicentur, multo inhumanius quam bestia se gerunt : bella crudelissima, quibus totæ nationes aut domentur aut omnino exstirpentur, homines sæpissime, bestia numquam suscipiunt.

Præterea naturæ dotibus bestia modice utuntur, homines autem immodice abuti non dubitant ac paulatim aëra et maria polluentes totum mundum inhabitabilem reddunt. Concedatur quidem oportet antiquis temporibus neminem præscire potuisse, quidnam transactis duobus milibus annorum in orbe terrarum futurum esset : hominem æquo magis omnium rerum mensuram fore, id est genus humanum multitudine sex miliardorum limitem excessurum esse atque industria artificiali continenter evolvenda et amplificanda plura temptaturum, quam quæ natura ferre posset.

Denique haud nihili interest, quo modo bestia ab hominibus tractentur. Earum commoda passim neglegi solent. Quid mirum, si nostris temporibus vehementer disceptari solet, qua ratione homines bestias pluris æstimare doceantur ?

\*\*\*

Paucis annis post mortem Ciceronis C. Sallustius Crispus, rerum scriptor Romanus, opera historica edidit, quorum in primo, *De coniuratione Catilinæ* inscripto, lectores suos ad argumentum suum hac inducit præfatione :

« Omnis homines, qui sese student præstare ceteris animalibus, summa ope niti decet, ne vitam silentio agant veluti pecora, quæ natura prona atque ventri obcedentia finxit. Sed nostra vis omnis in animo et corpore sita est : animi imperio, corporis servitio magis utimur : alterum nobis cum dis, alterum cum beluis commune est. Quo mihi rectius videtur ingeni quam virium opibus gloriam quærere et, quoniam vita ipsa, qua fruimur, brevis est, memoriam nostri quam maxime longam efficere. Nam divitiarum et formæ gloria fluxa atque fragilis est, virtus clara æternaque habetur. » <sup>13</sup>

Sicut Cicero, ita Sallustius quoque hominem pluris quam cetera animalia facere videtur. Memoria tamen retineamus eum hæc verba proœmii loco posuisse in opere suo, quo ostendere studet nonnullos homines virtutis oblitos animi imperio, quod sibi cum dis commune sit, etiam inhumane abuti, id est ad perniciem aliorum uti consuevisse.

Denique inspiciamus verba, quibus Seneca philosophus quandam ex epistulis suis concludit. Postquam proprium hominis esse dixit animum et rationem in animo perfectam, hæc addit : « Rationale enim animal est homo. Consummatum itaque bonum eius, si id implevit, cui nascitur. Quid est autem, quod ab illo ratio exigat ? Rem facillimam : secundum naturam suam vivere. Sed hanc difficilem facit communis insa-

nia ; in vitia alter alterum trudemus. Quomodo autem revocari ad salutem possunt, quos nemo retinet, populus impellit ? »<sup>14</sup>

Quid ergo ? Præceptum *Nosce te ipsum !* interpretantes ad quem denique auctorem maxime accedamus ? Equidem omnes, quorum mentionem supra feci, nos utilissima docuisse censeo. Socrates imprimis, ne nimia æstimatione nostri afficiamur, nos monet : nihil se scire contendens dicere velle videtur ea, quæ homines in sciendo assequi possint, velut cum gutta aquæ in magno mari comparabilia esse. Ciceronis et Horatii et Sallustii et Senecæ dictis diversæ partes eiusdem problematis illustrantur : peculiaribus quidem dotibus hominem sapientem sine dubio præditum esse – e.g. in litteris et artibus creandis atque in technologia evolvenda sine dubio bestiis præstare – sed abusum illarum dotum vitare suamque avaritiam coercere nescire.

Utique numquis negare audeat multa educatione homini opus esse, priusquam satis se ipsum noscat ac salva fide gloriari possit sese esse bestiis superiorem ? ❀

1. Cf. Plato, *Apologia* 19 b-d ; Cicero, *Acad.* 1,4,16 « Id unum scio, me nihil scire ».
2. Cf. Plato, *Phædon* 117 d.
3. Cf. Cicero, *Tusculanæ disputationes* 1,22,52.
4. Cf. *De officiis* 1,4,11.
5. Cf. *De officiis* 1,4,14.
6. Cf. *De officiis* 1,4,13.
7. Cf. *De legibus* 1,23,61.
8. Cf. *De officiis* 2,2,5.
9. Cf. *De officiis* 1,4,12.
10. Cf. *De officiis* 1,4,11.
11. Horatius, *Satiræ* 1,1,28-40.
12. *Satiræ* 1,1,24.
13. Sallustius, *De coniuratione Catilinæ* 1,1-4.
14. Seneca, *Epistulæ morales ad Lucilium* 41,8-9.

## NE QUID NIMIS

adagium 596

# PERIPEDEMI PERIEGESIS PER TERRAS SOMNIANTIVM ET VIGILANTIVM (IV)

– scripsit *Bradlius Walton* –

## V. HYPARCHIÆ

Percussus quæsita iuvenis morte, artificum simulatione, fastidiosa in me Cinerei iracundia, in popina iuvenibus frequenti cervisiam bibebam. Scilicet videbar animo perquam demissus, nam vir quidam humanus accessit et rogavit, an satis salverem. Ille specie quidem haud illiciebat, statura brevi, obesis instructus perspicillis, strabo, sed opinionem intelligentis præbuit. « Existimaveram, » inquam, « Physienses mendaciis se fefellisse, sed Udenienses non comperi sibi magis veraces vel fideles. Illi cum negent ea, quæ necessarie subsunt ipsorum placitis, hi tamen Physiicentibus negata agnoscentes aut vim sibi inferunt, aut vitam persuasionibus suis alienam degunt. Philosophia Udenica quamvis tristitiæ meæ conveniat, tamen eius dogmata observantem non arbitror me posse feliciter vivere, quam Udenienses. Velim cognoscere doctrinam, si ea existat, pariter ac Udeniensium coherentem, sed indoli humanæ magis congruentem. » Quæ cum vir diligentia urbana audivisset, « Totus » inquit, « multos iam annos huic solvendæ difficultati deditus, possum, ut existimo, tibi enodationem præbere. Nomen mihi Sartor est. Si me am ad civitatem hodie reversurum comitari volueris, ostendam tibi cives, qui etsi vera Udenica agnoscunt, tamen pulsus doctrina mea tenebris florentiores vivunt. » Ut respondi, me studiosum esse visendi locum, quo desperatio et dissimulatio Udeniensium victæ essent, eum ex popina secutus sum.

Fauces transmisimus ponte, quem tot vidi in contrariam calcantes partem, ut dubitarem an rectam viam ingrederemur. Nec longe ascenderamus montem, cum statim pervenimus ad Hyparchiam, urbem tam propinquam Udeniæ, ut potius suburbium quam municipium putares. Udeniam tam facile ex finibus Hyparchensium quam Physiicentium prospiciens, « Hem, » inquam, « Udeniam, si oculis tenemus, quomodo animo relinquimus ? » « Philosophia, » inquit, « quæ colitur Physiicæ, ubi natus altusque sum, me non secus ac te Udeniam deduxit. Eius philosophiæ etiamsi plerisque adsentiebar placitis, tamen vita, quæ doctrinæ suberat, haud contentus, mecum quæsvi, num qua rationis suæ parte Physienses erravissent. Quod igitur in animo volvens, comperi me agnoscere, nullum esse deum, materiem esse æternam, compositionem mundi clausam, ferreas causarum effectuumque leges consilio absolutas, præcepta moralia hominibus commenticia. Ex his intellexi rerum universitatem nihil esse. Mihi tamen animo volventi, quomodo homines aliquid essent in ea, quæ nihil esset, rerum

universitate, in mentem occurrit non unum sed duos esse mundos, alium obiectivum, potentem quidem sed imprudentem machinam, alium subiectivum, videlicet mentem humanam sui consciam et liberam. » « Nonne » inquam, « Physienses agnoscunt, esse mentem ? » « Sane » inquit, « sed ea nihil est nisi orbis obiectivi umbra, vel id quod cerebrum humoribus destillat. Ne multa, Physienses numerant homines inter res haud alias ac lapides vel muscas. Unitatem ergo mundi ita statuunt, ut dignitatem humanam evertant. » « Putasne igitur, » inquam, « naturam esse duplicem ? » « Ita puto, » inquit. « Nam mens est quidam pretiorum orbis orbi diversus obiectivo. Cum mundum subiectivum intra nos circumferamus, omnium, quoad novimus, rerum dissimiles sumus. Necnon ab omnibus rebus alioquin distamus. » « Quomodo ? » « In nobis existentia præcedit essentiam. » « Quid vis dicere ? » « Cum natura omnia ita faciat, ut ea sint, quæ sunt, tamen homines nosmet ipsos ita facimus, ut id simus, quod esse volumus. Exempli causa, si volo animosus esse, fortiter facio. Præterea, quoad attinet ad indolem et fatum, adeo liberi sumus, ut, animas nostras regentes, quidquid cogitare, esse, facere eligimus, possimus, et quid nobis æstimandum sit, quid non sit, constituamus. » Sartor videbatur cordatius dicere, etiamsi mihi non persuasum est, homines adeo pollere, ut indolem suam fatumque omnino moderentur. Tamen quod virtutibus colendis eisque eligendis, quæ pretii haberem, facultas mihi præberetur effugiendi mundum Physiicentium fatalem nihilque Udenensium æstimandum, gaudio perfusus sum.

Tiro, qui insolitæ præcepta novicia noscit doctrinæ, gaudens renovatum conspicit orbem inque nova sentit sophia latitare salutem, multoque errantem compleri lumine mentem, compressumque animum stringentia vincula solvi. Si spe blanditur facili doctrina novella, et numquam, nusquam, nulli non abdita pandit quæ vitam faciant afflictam vera beatam, hæc verisimile est, quamvis lepidissima, falsa.

« Ut pauca adiciam », inquit, « durities frigida ac absurda orbis obiectivi, et præsertim mortis nos pulverem reddituræ, nobis optantibus et sperantibus aliena est. Attamen, qui sibi fidelis, alienis absurdisque agnitis, et tamquam vir fortis tyrannum regno spolians, ita statuit rerum pretium et significationem, ut barathrum nihili superet. » « At » inquam, « quomodo sciam quæ sint bona, ut ea eligam ? » « Nihil facilius, » inquit. « Nam quidquid constituis esse aut facere, bonum est.

Immo vero tantum eligere est bonum affirmare. Ergo, cum id quod eligitur bonum sit, malum eligere non possumus. Malum est eligendo abstinere, sive in conspectu orbis absurdi desiderare. »

Cum ad Hyparchiam serius pervenissemus, quam ut deversorium reperirem, Sartor telephonemate curavit, ut apud familiarem acciperer. « Philodemus, » inquit, « medicus est, inter viros optimos et maximos numerandus et, ut addam, verissimum et felicissimum philosophiæ meæ exemplar. Si quidem dei cultor essem, eum vocarem sanctum. Quomodo igitur acciderit, ut geminus Ursini natus sit, mirum est. » « Quis » inquam « Ursinus ? » « Malefactor famosus. » « In vinculis est ? » « Minime. »

Humanissime nos accepit Philodemus. Quem ut salutavit, Sartor sollicitus observavit, amicum suum magis quam soleret defatigatum videri. Philodemus respondit, novum Hyparchiæ morbum nuper incidisse et, nonnullis iam absumptis, se vereri, ne absoluta exardesceret pestilentia. Philosophus suspirio tracto nos valere iussit et discessit.

Ædes Philodemi parvæ quidem erant sed commodæ. Thea apposita, de vita mea sciscitatus est. Quam breviter narrantem benigne audiebat et, olla siccata, « mihi mature decumbendum est. Nam multi ægroti, ut vereor, perfugium cras petent. » Ego, qui animum gratum ostendere studuerim, rogavi, an ei auxilium ægrotantibus curandis præberem. Subridens dixit, se libenter me volentem opitulari ad perfugium adducturum. Se pro certo habere, pensum mihi inveniri posse non quidem magnificum, sed utile.

Postero die perfugium intravimus ægrotantibus refertum. Adiutor Philodemum certiores fecit, nonnullos inter noctem mortuos esse. Ego iussus sum theam succumque pomarium ministrare. Philodemus lectulos circumibat, singulos curiose inspiciens eosque benigne adloquens, qui audire et intellegere potuerunt, mira diligentia et humanitate miseros curans et consolans. Pestilentia ingravescente, quotidie diutius laboravimus. Sexta hora Eudemus hortabatur, ut domum redirem, sed eius studio incensus institi, ut moratus dum labores conficeret, aut eum domum comitarer aut in perfugio pernoctarem.

Cum ad fastigium Philodemi admirationis pervenissem, cœpi advertere eum, quamvis acerrimum in perfugio, tamen domi profunda demissum tristitia. Nec laborare videbatur ea mediocri mentis demissione, quæ opus diurnum sequitur, nec ea ægrimonia, quæ tot conspectis mala ferentibus excitatur, sed nescioqua graviore mæstitia, quæ me turbavit. Ceteri enim medici, ut ægris et morientibus assueti, pestilentiam fortius perferre videbantur. Ego tandem, ratus auxilium plurimis ferentem verisimiliter desiderare aliquem, qui

ipsum curaret, rogavi, an satis salveret. Quamvis sentirem, demissionem graviorem esse, quam ipsa calamitas probaret, tamen quæsi, an pestilentia eum vexaret. Respondit, se magna miserorum misericordia e puero commotum, anno ætatis duodevicesimo constituisse, se doloribus hominum levandis totum dedere. Etenim miserationem ipsi non solum formavisse, sed etiam dedisse rationem vitæ. « Dicerem, » inquit, « misereri munus cæleste fuisse, si talia munera esse crederem. Sed misericordiam, fortuitam indolis proprietatem significatione expertem, vitæ materiem usurpavi. Tantum ea, quæ sunt aut fuerunt, cogito. Futura nec spero nec timeo. Vita est quædam nigredo. Sola lux nobis adfertur constituentibus, qui simus et quid faciamus. Cum decrevissem, ut aliis subveniendo vitam consumerem, propulsavi mundum absurdum, donec mors, res omnium absurdissima, me omniaque quæ magni facio, absorberet. » His dictis sensi id amaritudinis et desperationis, quod non faciebam, ut viro forti, nedum sancto, conveniret. Tristem quidem, sed non desperantem agnoscebam heroem. Si re vera exercuit artem suam non e charitate, sed e timore, Philodemum non quidem improbavi, sed horrui. Si tamen vel philosophiæ vel nesciocuius alterius causa simulabat, se potius absurditate terrente, quam misericordia incitante, officium miserorum curandorum suscepisse, si quid pretii, præter absurditatem fugiendam, quod suis in laboribus sentiebat, præ pudore vel superbia se sentire negavit, non potui, quin eum erubescerem.

Cum pestilentia maximis esset viribus, civitas Hyparchiensis solvi incepit. Tot ægrotabant, inter quos plurimi fuerunt ministri civiles, ut operæ publicæ vix darentur. Quodam die productis perfugii laboribus deacto, ego et Philodemus in synœcio sedebamus, cum ianua pulsata est. Duo vigiles intromissi Philodemum reverenter, sed aliquantulum perturbati, consalutaverunt. « Nos habeas, domine, excusatos, » inquit centurio superior, « sed nobis necesse est rogare, an nuper cum fratre tuo collocutus sis. » « Minime. » « Novistine, ubi sit ? » « Nisi domi suæ est, nescio. » Iam vigil severius, « Si forte » inquit, « cum eo collocutus eris, nosne certiores facies ? » « Licetne mihi cognoscere, » inquit Philodemus, « quid ille fecerit ? » « Credimus eum hac, quæ nunc est, calamitate uti. Is enim, tot vigilibus ægrotantibus aut absumptis, mercaturam psychotroporum auget, latrocinia multiplicat. » « Frater » inquit Philodemus, « non tam stultus est, ut me, quem primum vigiles excutiant, aut visat aut adloquatur. » « Sane, » inquit centurio. « Attamen si quid cognoveris, cuius nos participes facere volueris, nos, quæso, compella. » Tradito numero telephonico, vigiles discesserunt. Philodemus mihi noctem tranquillam optavit et vultu tristissimo scalas ad cubiculum ascendit.



Postero die Philodemus, veritus ne tantis exanimatus et tam insolitis laboribus morbo corripere, me iussit domi manere. Ad cottidianam ergo profectus operam, me reliquit corpus recumbendo animumque pelli- culis spectandis refecturum. Unam post horam ianua pulsata est. Quam ubi aperui, visus sum aspicere Philodemum saccos ferentem obsoniis plenos et ornatu valde mutatum. Dubitabam quam ob rem non solum rediisset, sed etiam ianuam pulsavisset suam, cum intellexi quem intuerer. Ursinus vestibus impensis amictus, tonsura eleganti ornatus, dapibus haud dubie opimis pinguescens, vultu placido nitens, speciem præbuit longe aliam ac frater etsi absoluta non egestate, tamen sui negligentia macer, tristis, incomptus, fere pannosus. Admissus primum rogavit quis essem, quo cognito, saccos in culinam intulit et apertum frigidarium inspexit. « Nihil ! » inquit fastidiose, « ne cervisia quidem. » « Frater tuus, » inquam, « operosior est, quam ut coquat. Foris cenare solet. » « In quadam scilicet popinula uncta et culicosa. Et eum puto adhuc istas gerere attritas bracas Genuenses fœdosque socculos cursorios. Nescio quare debeat sanctitudo reddere sortidum. Num illicitum est, induere quod decet ? » Magis magisque indignatus sum Philodemum detrectari ab eo, cuius ornatus et elegantia fluerent e psychotropiciis, latrociniis, lenociniis, repetundis. « Pauper est, » inquam, « quia pauperibus vitam dicavit. » « Paupertas ei necessaria non est, pera mea semper aperta. » « Haud dubie nolit sceleribus vivere. » « Haud dubie. At tantane est ei colenda fœditas, et tantilla operibus suis concipienda voluptas ? Tristitia eius perpetua haud perferri potest. » Incensus, aut quod vir mihi dilectus obtrectabatur, aut quod vir mihi despectus ea quærebat, quæ mecum quærere iam inceperam, « Quid » inquam, « facis hic ? Nonne novisti, te, cum adsis, fratrem tuis implicare sceleribus ? » « Aliud cura ! » inquit. « Tot ægrotant vigiles, ut non sint, qui excubent. Nemo scit me adesse. » « Quid ergo hic facis ? » « Adhuc fratrem tueris ? » « Partim tueor, partim indignor te talem talis viri ædes intrare et frigidarium rimari. » « Ducisne fratrem me meliorem esse ? » « Nempe duco. » « Difficultatem tuam » inquit « intellego et iam solvam. Primum tamen adiuva, quæso. » Apertis saccis extraxit mihi que tradidit olera, canistra, lagœnas frigidario inserendas. « Habesne in animo » inquam, « paulisper manere ? » « Inepte puer, » inquit, « hæc non sunt mihi parata, sed fratri, qui se curare nescit. »

Repositis in frigidario obsoniis, « Dic mihi, » inquit, « cur putas fratrem meum me esse meliorem ? » « Vita eius hominibus auxiliando, tua nocendo dicata est. » « Quid » inquit, « discriminis est ? » « Sentio eius vitam meliorem esse. » « Quid ergo ? Sunt permulti mecum

negotia contrahentes, alii scelesti, latrones, lenones, narcoticopolæ, qui verbis et actibus, alii boni et honesti, negotiatores principesque, qui tantum actibus, meam meliorem esse vitam affirmant. Fratris viam vivendi, quamvis plurimi laudent, quantos vides sequi ? » « Non multos. » « Ergo, præterquam quod id sentis, quomodo demonstras, fratrem me meliorem esse ? » Ego aliquid secundum morem Theistiensem dicturus de legibus divinis, memineram talia argumta Hyparchiæ nihil valere, et respondi, civitatem scelestis plenam florere non posse. « Hem, » inquit, « hæc civitas satis floret, sed hoc mitto. Quod si concedo quod dixisti, civitatem, quam tales incolunt qualis ego, florere non posse, quid ergo ? Cur debeat civitas florere ? Cur non perire sinatur ? Cum omnia sint absurda, quid interest ? » Ita adductus ad principia philosophiæ Hyparchiensis, respondere non potui. « Ergo, » inquit, « alius tam bene decernit, quam alius. Nihil nisi præposita mea habeo, quæ alienis præpositis opponam. Nam extra me nulla quidem pretii mensura est, sed tantum ingens rerum absurditas. Scisne quomodo philosophus cultus nostri fundator bonum malumque definiat ? » « Dixit, » inquam, « eligere bonum esse, non eligere malum. » « Planissime. Hac ratione ego et frater pariter boni sumus, quorum uterque elegerit. Nec est mensura, qua fiat morale inter electiones discrimen. Iam dic mihi, duo mundi qui sunt ? » « Obiectivus et subiectivus. » « Recte. Ubi situm est eligere et non eligere ? » « In subiectivo. » « Ita. Mundus subiectivus fons est omnium, quæ aliquid pretii habent. Cum moriemur, ille fons oclusus exsiccabitur, tamquam numquam scattisset. » « Istud » inquam, « mentem demittit. » « Putasne ? Mihi equidem plura sunt negotia, divitiæ, voluptates, quam ut tempus morte deploranda perdam. Quid cures ? Cum enim omnis ero morte exstinctus, non ibi adero, ubi pæniteat, me exstinctum esse. Sed similis es fratri meo. Tenue ac evanescentiam, et quibus curæ est, mortem eos absurdos reddituram esse, et qui animo demittuntur, cum considerant, tot esse bona quam bona æstimantes, et ergo intellegunt bonitatem nihil esse nihilque significare, et qui magis magisque anguntur ultima, quæ mors est, absurditate appropinquante. Hæc tamen omnia nec sentio nec curo. Sed fratrem, cuius causa sollicitus sum, interdum viso, si quid ei faciam, quo animum e curis oblectando abducam.

His sermonibus ita demissus sum, ut Philodemum postea domum reversum, facie tamquam umbris vel dæmonibus inquietata, nec adloqui nec aspicere perferer, etiamsi virum bonum. Rogavi ut excusatus haberer, et ascendi ad cubiculum, quo diutissime insomnis iacebam, haud mediocri affectus nausea. ❧

# DE NONNVLLIS ÆVI RECENTISSIMI TITVLIS QVI APVD ITALOS LEGVNTVR

- quos proposuit Theodericus Sacré -

## I. DE INSCRIPTIONE QUADAM MEDIOLANENSI (ANNI MMI)

Tabula hæc marmorea iuxta ingressum bibliothecæ studiorum universitatis catholicæ Sacri Cordis reperitur parieti cuidam appensa. Qua iusto dilaudatur iure Iosephus Billanovich (6.VIII.1913 - Patavii, 2.II.2000), <sup>1</sup> academicus ibi professor p.m., vir apprime eruditus idemque comis, humanus, affabilis. <sup>2</sup> Præstitit is docta investigatione : nam de veterum Latinitatis auctorum fortuna apud recentiores scriptores et multa scripsit et nova, atque ad Franciscum Petrarcam animum acriter ac sedulo advertens, eas litteras eumque cultum humanum eximie illustravit, qui sæculo XIV apud Italos efflorescere cœperat, mox totam pervaserat Europam. Vir vero idem, Vaticanæ bibliothecæ exemplo allectus, quo studiosorum magis prospiceretur commoditati, persuasit Athenæi Mediolanensis moderatoribus ut novam curarent instruendam bibliothecam, quæ ad disciplinas humaniores spectaret, cuius libros in pluteis magno numero et certo ordine dispositos libere adirent doctrinarum pervestigatores alumnique. Quæ est causa cur ad bibliothecæ ipsius fores hunc lapidem apponendum esse merito censuerit magnificus studii generalis rector :

IOSEPHO BILLANOVICH  
QVI CVM CODICES MANVSCRIPTOS  
CVRIOSIVS INDAGARET  
QVOMODO SCRIPTORES ANTIQVI TRADITI SINT  
RENATÆQVE LITTERÆ HVMANIORES  
NOVE DECLARAVIT  
ATQVE DIVTINA MEDITATIONE  
MAGNI PETRARCHÆ QVASI FAMILIARIS EXSTITIT  
OB DOCTRINAM ARDOREM ANIMI COMITATEM  
IN VNIVERSITATE CATHOLICA SACRI CORDIS  
PER ANNOS XXXV  
IMPVLSORI STVDIORVM SINGVLARI  
PLVRIBVS ALVMNIS ET LIBRIS EDITIS ILLVSTRI  
DE HAC BIBLIOTHECA LOCVPLETANDA  
PROFESSORVM AD VSVM ÆQVE DISCIPVLORVMQVE  
SAPIENTER INSTRVENDA  
BENE MERITO

POSITA DIE IV NONAS FEBRVARIAS A.D. MMI  
TANTI VIRI MORTIS ANNIVERSARIO

Nonne elegantias veneresque quas in lapidibus alibi observabant atque admirabantur, solent vel inscientes meminisse qui eiusmodi titulos condere sunt iussi? Id mihi quidem contigisse videtur Carolo Mariæ Mazzucchi, philologiæ Byzantinæ professori eidemque Iosephi illius Billanovich olim auditori atque alumno (nam ipsum tituli auctorem mihi viva designavit voce amicus quidam Mediolanensis), non quod aliorum virorum de philologia bene meritorum alluserit elogiis, quæ in studiorum universitate Sacri Cordis adhuc reperiuntur Latine exarata tabulisque marmoreis incisa, <sup>3</sup> sed quia memoriter tenuisse videtur lapidem quendam satis venustum prope exstantem : siquidem ad ingressum basilicæ Sancti Ambrosii occidentalem adhuc legitur inscriptio sæculi XVI, qua colitur pia memoria Marci Antonii Maioragii (1514-1555), <sup>4</sup> eloquentiæ apud scholas Palatinas Mediolanenses mediante sæculo XVI doctoris publici ; <sup>5</sup> atque ita quidem in ea collaudatur vir doctus, ut « et libris editis illustris » fuisse dicatur, quæ verba recentiore in elogio iterantur. Arrident autem mihi (non diffiteor) eiusmodi iuncturæ vel ad verbum mutuatae vel cum iudicio leviter immutatae, quibus fit ut coniunctio litterarum humaniorum atque continuatio animos legentium permeet saxaque ipsa non modo loqui, sed etiam inter se colloqui videantur :

# AB OBLIVIONE VINDICENTVR

M. ANTONIO  
MAIORAGIO  
DICENDI MAGISTRO  
SINGVLARI  
LATINIS GRÆCISQVE LITERIS  
PERPOLITO  
ET LIBRIS EDITIS ILLVSTRI  
QVI PVBLICE DOCVIT AN. XIII  
VIXIT XLI  
BARTHOLOMÆVS COMES  
VXORIS FRATRI  
B.M. POSVIT

2. AFFERUNTUR INSCRIPTIONES ROMANÆ II (ANNORUM MMIV ET MMVIII) <sup>6</sup>

a. Inscriptio Capitolina (anni MMIV)

Inscriptio quæ est emendatissimæ perpolitissimæque Latinitatis legitur in œco quodam minore Musæorum Capitolinorum :

DIE XXIX MENSIS OCTOBRIS A.D. MMIV  
IN HOC SACRATISSIMO CAPITOLINO COLLE  
ALMÆ VRBIS ORBISQVE TERRARVM ARCE  
IN PRÆCLARA AVGVSTAQVE EXEDRA  
AB HORATIIS ET CVRIATIIS NVNCVPATA  
NATIONVM IN VNIONE EVROPÆA CONIVNCTARVM  
SVMMI MODERATORES  
FÆDVS DE CIVITATIS FORMA CONSTITVENDA  
VT EVROPÆ GENTES IN POPVLI VNIVS CORPVS COALESCERENT  
VNO ANIMO VNA VOLVNTATE VNO CONSILIO  
OBSIGNAVERVNT

Eodem loco quo annos abhinc duo et quinquaginta nationes illæ sex fœdus, quod Romanum solet nuncupari, iecerunt, quo Vnio Œconomica Europæa est fundata, anno MMIV exeunte mense Octobri summi moderatores Europæi adunati constitutioni Europææ, moderantibus Valerio Giscard d'Estaing, ex præside rei publicæ Francogallicæ, et Iohanne Luca Dehaene, ex administro summo regni Belgici, conscriptæ, sollemniter subscripserunt. Quam postea reiecerunt populi nonnulli per scita plebis ; inde fit ut forma illa sive constitutio ad hunc diem pro rata non ducatur.

b. Inscriptio Onuphriana (anni MMVIII)

Nemo est cui non innotuerit ecclesia Sancti Onuphrii vetustissima eademque venustissima, quæ ambulanti a nosocomio Sancti Spiritus clivumque Ianiculensem ascendenti mox fit obviam. Exstat enim in ea Torquati Taxi, summi poetæ, sepulcrum verbis ornatum Latinis ; <sup>7</sup> et adiacet non solum cœnobium, cuius est porticus adornata tum picturis elegantioribus, tum epigrammatis soluta oratione sæculo XVII scriptis vitamque sancti Onuphrii stricte denarrantibus, sed etiam hortulus, unde mirus admodum ac delectabilis in urbem reginam late patet prospectus. Hic igitur Goetheus genio loci captus diutius hæsit, hic mortem obire cupiebat Franciscus Renatus de Chateaubriand, id quod testantur tabulæ duæ marmoreæ, altera Gallice, altera Theodisce exarata. His autem nuperrime adiecta Latina, qua recentiorem equidem in Urbe vidi nullam.

FRANCISCVS PATRICIVS  
SERENISSIMÆ REIPVBLICÆ VENETIARVM  
INSIGNIS PHILOSOPHVS ET LITTERARVM CVLTOR  
NATVS DIE XXV APRILIS A.D. MDXXIX IN INSVLA CREXI  
HODIE CRES IN CROATIA  
QVI ROMÆ OBIIT DIE VII FEBRVARI A.D. MDXCVII  
HIC RESVRRECTIONEM EXSPECTAT

ACADEMIA SCIENTIARVM ET ARTIVM CROATICA  
HVNC LAPIDEM IN HONOREM EIVS  
POSVIT DIE VII FEBRVARI A.D. MMVIII

Patricius <sup>8</sup> ille, natus in insula Crexi sive Chrepsa, quæ nunc est nationis Croaticæ, per quattuor autem sæcula dicionis fuit Venetæ, cum philosophiæ incubisset in studiorum universitate Patavina ac deinde complura fecisset itinera, Platoniciæ philosophiæ est creatus doctor academicus in Academia Ferrariensi; quo munere est functus donec auctore Hippolyto Card. Aldobrandinio in Urbem est invitatus ut ibi in studiorum universitate a Sapientia dicta sapientiam Platoniam publice profiteretur. Reiecit Aristotelica scita, Platonica est amplexus, philosophiamque non mediocriter auxit editis in lucem libris; inter quos is eminet cui est titulus *Nova de universis philosophia* (Ferrariæ, 1591). ❀

1. Cfr. A. Sottili, « Giuseppe Billanovich », *Wolfenbütteler Renaissance-Mitteilungen*, 24 (2000), 103-105; M. Ferrari, « Ricordo di Giuseppe Billanovich », *Neulateinisches Jahrbuch*, 3 (2001), 5-10; G. Bernardi Perini, « Un ricordo di Giuseppe Billanovich », *Studi petrarcheschi*, 15 (2002), 1-14; G. Velli, « Giuseppe Billanovich filologo e storico della cultura », *ibid.*, 15-23.  
2. Quem ipse virum vere doctissimum ante hos XXVIII circiter annos, cum semestri peregrinatione Mediolanensi fruerer litterisque neolatinis primum initiarer, una cum aliis studiosis haud paucis tamquam oraculum interdum consului.  
3. Inter quæ eminet elogium Felicis Ramorini (1852-1929) palæophilologi, quod in porticu quadam eiusdem Athenæi legitur: FELICIS RAMORINO / PRIMI PRÆSIDIS PHILOLOGORVM / PHILOSOPHORVMQVE COLLE-  
GII / DE STVDIIS DE IVVENILI DISCIPLINA / DE PATRIA DE RELI-  
GIONE / OPTIME MERITI / CARISSIMVM MANEAT HIC NOMEN / IN  
ATHENÆO NOSTRO / MARMOREO MONVMENTO INSCVLPTVM /  
PERPETVÆ MEMORIÆ POSTERORVM LAVDI / COMMENDATVM /  
COLLEGÆ AMICI DISCIPVLI / PIETATIS HONORIS ERGO / POS-  
VERVNT / MEDIOLANI MENSE NOVEMBRI MDCCCXXIX. De  
Ramorino professore, qui cum Panormi, Ticini Florentiæque docuisset,  
Mediolanum venit annosque 1924-1927 decani munere est ibi functus, videsis  
quæ scripserunt A. Gemelli, « Felice Ramorino », in *Raccolta di scritti in  
onore di Felice Ramorino*, Pubblicazioni dell'Università Cattolica del Sacro  
Cuore, IV, 7 (Mediolani, 1927), pp. XI-XVI (accessit « Curriculum academico  
del Prof. Felice Ramorino » (p. XVII) et « Pubblicazioni del Prof. Felice  
Ramorino » (pp. XVIII-XX)); M. Ferrari, « La letteratura e la filologia », in  
*L'Università Cattolica a 75 anni della fondazione. Riflessi sul passato e prospet-  
tive per il futuro (...)* (Mediolani, 1998), pp. 145-164 (p. 150).  
4. De Marco Antonio Maioragio (*Mairago* quod nunc vocatur scito oppidu-  
lum esse in agro Laudensi situm, quod quadraginta fere chiliometra distat ab  
urbe Mediolanensi) sive Antonio Maria Comite (Tusce *Conti*) scripserunt i.a.  
J.-P. Nicéron, *Mémoires pour servir à l'histoire des hommes illustres (...)*, 41

(Parisiis, 1740 = Genavæ, 1971), pp. 276-285; R. Ricciardi, « Conti (Comes,  
Maioragus), Antonio Maria (Marcus Antonius) », *Dizionario biografico degli  
Italiani*, 28 (Romæ, 1983), pp. 359-364; C. Vasoli, « Un episodio della disputa  
cinquecentesca su Cicerone e il Ciceronanesimo: Mario Nizolio e  
Marcantonio Maioragio », in S. Prete (ed.), *Memoires tui. Studi di Letteratura  
classica ed umanistica in onore di Marcello Vitaletti* (Saxoferrati, 1990),  
pp. 171-196. Adversus Marium Nizolium, factionis Ciceronianæ asseclam non  
ignobilem, scripsit Maioragus, qui contendit Tullium philosophum fuisse  
non acutissimum, verum mediocrem.  
5. Cuius in locum successit Aonius Palearius Verulanus (1504-1570), poeta  
Lucretianus et solutæ orationis Ciceronianæ auctor præclarus. Ineunte autem  
sæculo XVII scholis eis est nobilitatus Erycius Puteanus Belga (1574-1646),  
Iusti illius Lipsii auditor.  
6. Alias nonnullas Melissæ legentibus olim proposuimus: *Melissa*, 80 (1997),  
8-11; 106 (2002), 7-9.  
7. Quæ elegantia præstant: TORQVATI TASSI POETÆ / (HEV  
QVANTVM IN HOC VNO NOMINE / CELEBRITATIS AC LAVDVM !) /  
OSSA HVC TRANSTVLIT, HIC CONDIDIT / BONIF. CARD. BEVILAC-  
QVA ./ NE QVI VOLITAT VIVVS PER ORA VIRVM, / EIVS RELIQUA  
PARVM SPLENDIDO LOCO / COLERENTVR, QVÆERENTVR. /  
ADMONVIT VIRTVTIS AMOR, ADMONVIT / ADVERSVS PATRIÆ  
ALVMNVN, ADVERSVS / PARENTVM AMICVM PIETAS. / VIX. ANN.  
LI, NAT. MAGNO FLORENTISS. SÆC. BONO / AN. MDXLIV. / VIVET  
(HAVT FALLIMVR) ÆTERNVM IN HOMINVM / MEMORIA, ADMI-  
RATIONE, CVLTV.  
8. Cfr. C. Vasoli, *Francesco Patrizi da Cherso*, Humanistica, 5 (Romæ, 1989);  
Id., « Francesco Patrizi e il 'Metodo' della filosofia », in P. Castelli (ed.), « *In  
supreme dignitatis...* »: per la storia dell'Università di Ferrara 1391-1991,  
Pubblicazioni dell'Università di Ferrara, 3 (Florentiæ, 1995), pp. 271-283;  
P. Castelli (ed.), *Francesco Patrizi filosofo platonico*, Pubblicazioni  
dell'Università di Ferrara, 8 (Florentiæ, 2002).

## ITERVM DE LINGVA LATINA DOCENDA

- scripsit Stephanus Rocca -

Sicut omnibus satis constat qui in methodum Sørbergianam incumbere in animo habent ad linguam Latinam recte docendam, id præsertim redundare videtur, scilicet quod nobis sunt parandæ editiones non tantum classicorum scriptorum, sed etiam instrumenta scripturæ conferenda ut duo illa volumina Ørbergiana<sup>1</sup> utilioribus adiumentis compleamus. In arte didactica enim necesse est nos varietatem quandam adhibeamus et quod attinet ad auctores legendos et, maxime, ad pensa conficienda. In prima elementa morphologiæ acquirenda enim repetitio fundamentum est usus atque exercitationis et magistris quam diligentissime contendendum est ut discipuli cotidie linguam vivam adhibentes se exercent. In volumine primo *Linguae Latinæ per se illustratæ*, c.t. *Familia Romana*, in exemplum revera subiciamus aliquot capita, in quibus elementa grammaticæ et syntaxeos dispertiuntur atque quæ sint volumina quæ in bibliothecis invenire possumus et ad propositum nostrum aptissima videantur, exsequamur.

In capitulo tricesimo tertio, e.g., de exercitu Romano narratur et præsertim de Æmilio, fratre Æmiliæ minore, quem discipuli iam invenerant in capitulo duodecimo (de milite Romano). Potest nunc magister cum discipulis res altius perscrutari et pedetemptim, eos in Cæsaris Commentarios de bello Gallico legendos edocere.

Quod ad propositum consequendum maxime proficere videtur libellus quidam, cuius in usum discipulorum W. L. Paine et C. L. Mainwaring exemplaria typis denuo Oxonii exscriserunt anno 1925.<sup>2</sup> Qui libellus constare videtur sex et quinquaginta lectionibus, ex quibus excerpere possumus tres, quæ ad res nostras strictius pertinere videntur, scilicet quintam et quadragesimam lectionem (*Castra Romana*), deinde sextam et quadragesimam, postremo septimam et quadragesimam. Legamus igitur ista capita Oxoniensia, quæ commentatus sum ipse iuxta leges domus editoriarum Montellensis, apud quam vero apud nos Italos volumina illa Ørbergiana eduntur.

Die quodam Marcus e cubili<sup>3</sup> surrexerat, cum castra ultra fluvium in clivo<sup>4</sup> posita conspexit. Tum « quæ sunt ista tabernacula? »<sup>5</sup> inquit; « heri ibi non erant antequam dormitum ivi ». Pater illi respondit: « Castra sunt, ubi exercitus Romanus noctu<sup>6</sup> dormit, cum bellum gerit. »<sup>7</sup> Dum prandium igitur edunt,<sup>8</sup> talibus verbis pater castra explicat.<sup>9</sup> « Cum agmen Romanum iter facit, vesperi tribunus lectis<sup>10</sup> cum militibus castra ponendi causa præmittitur.<sup>11</sup> Locus ab eo capitur, prope quem aqua cibusque facile inveniri possunt.

Statim tribunus vexillum<sup>12</sup> erigit<sup>13</sup> et quadratum<sup>14</sup> spatium<sup>15</sup> signat,<sup>16</sup> quod socii munire incipiunt. Fossa circum tota castra foditur,<sup>17</sup> ex qua terra vallum struendi<sup>18</sup> causa cumulatur.<sup>19</sup> In vallo quattuor portæ fiunt. Interea<sup>20</sup> ab aliis militibus media castra in varias partes viis dividuntur et in propriis locis tabernacula ponuntur. Separatim prætorium,<sup>21</sup> quod imperatoris tabernaculum est, exstruitur;<sup>22</sup> quæ omnia summa celeritate<sup>23</sup> fiunt, quod haud procul agmen fessum appropinquat. »

*Sexta et quadragesima lectio*  
*Castra Romana*

Agmen castra intrat. Impedimenta<sup>24</sup> et spolia in spatio, quod inter vallum et tabernacula<sup>25</sup> est, cumulantur:<sup>26</sup> ibi etiam equi pecudesque pascuntur. Deinde legiones ad suam quæque castrorum partem demittuntur. Cena statim paratur; arma et tela reponuntur; milites edunt et bibunt. Post cenam vigiles<sup>27</sup> per totum vallum disponuntur; itaque omne periculum avertitur; nam hostes, si ad vallum silentio adibunt aut explorandi aut expugnandi causa, a vigilibus cernentur; hoc extemplo exclamabunt et signum tuba dabunt; omnes statim ex somno excitabuntur hostes repellendi<sup>28</sup> causa. Dum vigiles castra custodiunt, legiones tutæ securæque dormiunt.

*Septima et quadragesima lectio*  
*Castra Romana*

Mane tribuni centurionesque extra prætorium<sup>29</sup> convocantur. Militibus convocatis dux talia verba dicit. « Castra extemplo movebuntur; arma ab omnibus parabuntur; acies instruetur. Nam hostes iam in conspectu sunt; nostrum impetum, ut credo, non manebunt,<sup>30</sup> sed ipsi priores nos oppugnabunt. Si primo ab hostibus repellimini,<sup>31</sup> nolite desperare. Si enim fortes eritis et quam acerrime pugnabitis, hostes tandem a vobis fugabuntur.<sup>32</sup> Eos qui se dedere<sup>33</sup> nolent occidite; nolite captivos occidere. Hi enim Romam auferentur, ubi Romani eos vendent; et pecunia vobis militibusque distribuetur. Hæc iussa, o tribuni centurionesque, extemplo militibus nuntiate. »

Quibus lectis et iterum lectis, inquirenda in primis sunt discipulis argumentum, deinde analysis et ipsa verborum significatio et vis, postremo dispositio et elocutio. Magister incumbet quam diligentissime in lectionis iterationem, ut res discipulorum memoriæ et imitationi tradat. Deinde scribendi exercitium maxime

consequendum est, sed optimum exercitationis genus et præter alios potissimum esse constat interpretatio. Locum interpretandum re vera discipulus bis terque attente legere debet; mox, relicto volumine, scribat discipulus sua quisque ratione et ingenio quod legerit.<sup>34</sup> Postea castra, legiones Romanas necnon cuiusdam obsidionis alacritatem describat quam diligentissime magister: primum tabulas pictas<sup>35</sup> explicet quæ ad res militares pertinere videntur, scilicet tabulas 13/14; 15; 17; deinde petat ut suam quisque discipulus aperiat sententiam. Nec tantum verba quæ a magistro audiverat repetat, sed etiam synonymis utatur, narrationem quandam novissimam de his rebus in mente fingat, scribat, postremo legat aliis condiscipulis. Quæ in pensa conficienda liceat sane discipulos in parvis gregibus congregari et in societate quadam laborem exercere. Det magister aptam phraseologiam,<sup>36</sup> exempli gratia:

- Dēminutas copias redintegrare
- Copias / arma / castra / exercitus iungere / coniungere
- Copias conducere / contrahere
- Exercitum / copias parare / instruere
- Stipendia merere // militare
- Rei frumentariæ prospicere / providere // rem frumentariam / de re frumentaria / de comœatu providere
- Rem frumentariam expedire
- Arma capere / sumere
- In armis esse
- (procul / ex omnibus partibus) tela mittere / iacere / conicere in aliquem
- se obicere telis hostium
- bellum facere / excitare
- bellum impendet / instat
- primum agmen
- novissimum / extremum agmen
- quam maximis potest itineribus
- tela conicere (in aliquem)
- impetum hostium excipere
- adversis hostibus occurrere

et ita porro.

In hanc artem exercendam in primis acquirenda discipulis est simplicitas quædam in Latine loquendo. Quod consequendum est recitando præsertim fabellas quaslibet, elata voce, tam plane et distincte ut omnes condiscipuli audire et intellegere possint.<sup>37</sup> Eodem modo magister exercere potest discipulos suos, qui, relicto volumine priore Ørbergiano, in manibus evolvunt volumen alterum, quod inscribitur *Roma æterna*.

Sed nunc conferamus nos ad Cenam Trimalchionis, quam, ex Petronii Satyrice, ad usum discipulorum edidit Hans H. Ørberg ipse.<sup>38</sup> Ad libellum istum recte interpretandum usui discipulis esse potest descriptio quædam illius cenæ, quæ invenitur in volumine Oxoniensi quod inscribitur *Latin Stories*, scilicet *Latinæ fabulæ*.<sup>39</sup> Legamus, quæso, e.g., quomodo narratio Encolpii incipiat:

Romæ erat homo aliquis, Trimalchio, qui ex paupere factus est locupletissimus, neque tantum iudicium habebat quantam pecuniam. Ille me ad cenam vocavit, amicumque meum.

Ubi ad ædes eius pervenimus, senem offendimus calvum, tunica vestitum rubra, inter pueros capillatos ludentem pila. Quandocumque in terram pila decidit, non repetebat ille, sed novam a servo exceperat, qui cum copia magna pilarum adstabat in promptu. In diversa parte duo servi stabant, quorum alter pollubrum argenteum et urnam argenteam tenebat, alter pilas numerabat; non eas quæ inter manus iacentium vibrabant, sed eas quæ in terram decidebant. Mox ludo finito, senex digitis concrepuit, quo signo servus alter pollubrum manibus subiecit, alter aquam ex urna offundebat; ille autem lautis manibus, digitos in capite pueri detersit.

Inde domum intravimus. Sed delicatior erat Trimalchio, quam qui ambularet vel triginta passus. Itaque lecticæ impositus est, quam octo servi portabant: procedebant cursores quattuor, dumque lectica vehitur, cantor ad caput eius accessit, tibias tenens minimas, et tamquam si in aurem aliquid secreto diceret, toto itinere cantabat.

Sequimur nos admiratione percussi, donec ad ianuam domus pervenimus. Ibi in poste titulus erat, cum hac inscriptione, fixus: « Quisquis servus iniussu domini foras exierit, accipiet plagas centum. » In aditu stabat ostiarius, prasina veste contactus: super limen cavea aurea pendeat, in qua pica intrantes salutabat. Dum hæc perlustro, subito attonitus, pæne decidi supinus: ad sinistram enim intrantibus, haud longe ab ostiarii cella, canis ingens, catena vinctus, in pariete erat pictus, superque scriptum magnis litteris « CAVE CANEM ». In pariete quoque multa ex Trimalchionis vita depicta vidi: quomodo Romam Minerva ducente venerit, mox dispensator factus sit, tandem in tribunal a Mercurio sublatus sit; præsto erat Fortuna cum cornu abundantanti, et tres Parcæ pensa torquentes.

In angulo erat armarium magnum, in cuius ædicula pyxis aurea, in qua barbam ipsius conditoris conditam esse dicebant.

Magister uti potest hac pagina non tantum sicut interpretatione capitum Petronianorum, sed potius multis aliis rationibus. Id petat a discipulis, ut, mutato ordine verborum, eadem dicant aliis verbis, postea indicem sumant verborum novorum quæ invenerant et deinde phraseologiam quandam sibi aptissimam in recitando componant. ❀

[Dē domō Trimalchiōnis]

Sequimur nōs, admiratiōne iam saturī, et cum Agamemnone ad iānuam pervenimus, in cuius poste libellus erat cum hāc inscriptiōne fixus: *Quisquis servus sine dominicō iussū forās exierit accipiet plāgās centum.*



satur -ra -rum = qui satis habet (cibī)  
libellus : charta

dominicus -a -um < dominus  
iussus -ūs m < iubēre  
plāga -ae f; pl = verbera



aditus -ūs m (< ad-ire) ↔ exitus  
prasinātus -a -um = prasinā  
veste indūtus  
cerasinus -a -um < cerasum  
suc-cingere = cingere  
pisum (: pisa) purgāre : ē  
putāmine dēmere  
varius : variis coloribus

In aditū autem ipsō stābat ōstiārius prasinātus, cerasinō succinctus cingulō, atque in lance argenteā pīsum purgābat. Super limen autem cavea pendēbat aurea, in quā pīca varia inrantēs salūtābat.

re-supināre = recubentem  
facere, ad terram iacere  
cella -ae f = locus in domō  
intra quatuor parietēs  
pariēs -ētis m = mātus qui  
domum dividit  
littera quadrāta: A B C D E...  
collēgae : socii, amici  
ridere risisse  
spiritus -ūs m < spirāre  
persequi oculis : spectāre  
vēnālicium -i n = locus in  
forō ubi servi vēneunt  
cādūceum:  
virga Mercurii

Cēterum ego, dum omnia stupeō, paene resupinātus  
crūra mea frēgi: Ad sinistram enim inrantibus, nōn longē  
ab ōstiārī cellā, canis ingēns catēnā vīnctus in pariete erat  
pictus, superque quadrātā litterā scriptum: CAVE CANEM.  
Et collēgae quidem mei risērunt; ego autem, collēctō spī-  
ritū, nōn dēstīti tōtūm parietem persequi. Erat autem vē-  
nālicium cum titulīs pictum, et ipse Trimalchiō capillātus  
cādūceum tenēbat Minervāque dūcente Rōmam intrābat.

*Petronii Cena Trimalchionis, ad usum discipulorum  
edidit Hans H. Ørberg, Grenaa, Domus Latina, 2000.*

1. H. H. Ørberg, *Lingua Latina per se illustrata*. Pars I, *Familia Romana*; Pars II, *Roma aeterna*, Hauniae 1991. Editio princeps, quæ dici potest, voluminum quæ curavit Hans H. Ørberg inveniri potest apud paginam domesticam professoris illius doctissimi (www.lingua-latina.dk). Editio in usum Itolorum invenitur apud : www.vivariumnovum.it
2. W. L. Paine et C.L. Mainwaring, *Lingua Latina. Primus annus*, Oxonii, 1912<sup>1</sup> et 1925<sup>2</sup>.
3. Cubile, -is n = lectus.
4. Clivus, -i m = latus montis.
5. Tabernaculum, -i n = [FIGURA].
6. Noctu adv = nocte.
7. Bellum gerere = pugnare cum aliquo.
8. Prandium edere = cibum sumere.
9. Explicare = (rem difficilem) explanare.
10. Legere = eligere.
11. Præ-mittere.
12. Vexillum, -i n = [FIGURA].
13. Erigere = tollere.
14. Quadratum scil. forma quadrata.
15. Spatium, -ii n = locus.
16. Signare = signum imprimere.
17. Fodere, fodisse, fossum = fodere terram scil. humum moliri.
18. Struere = parare.
19. Cumulare = complere.
20. Separatim = singillatim.
21. Prætorium, -ii n = locus in castris ubi dux habitat.
22. Ex-struere, -uxisse, -uctum = ædificare.
23. Celeritas, -atis f < celer.
24. Impedimentum, i n = quod miles fert.
25. Tabernaculum, -i n = [FIGURA].
26. Cumulare, -avisse, -atum = augere, explere, complere, perficere.
27. Vigil, vigilis m = qui vigilat.
28. Re-pellere, reppulisse, re-pulsum.
29. Prætorium, -ii n = locus in castris ubi dux habitat.
30. Manere, mansisse, mansum = opperiri, oppertum esse.
31. Re-pellere, reppulisse, re-pulsum.
32. Fugare, fugavisse, fugatum = in fugam vertere.
33. De-dere, -didisse, -ditum = tradere (in alicuius potestatem).
34. Cfr. quæso Æm. Springhetti S.I., *Institutiones stili Latini*, Romæ 1954, pp. 262-272.
35. Cfr. quæso S. Colombari, *FLIP Posters S.P.Q.R.*, Recineti 1996.
36. Cfr. C. Meissner, C. Meckelnborg, *Lateinische Phraseologie*, Darmstadii 2004, pp. 192-207. Fortasse phototypice exemplaria harum paginarum tradi possunt discipulis.
37. Cfr. H. H. Paoli, *Varius libellus*, Florentiæ, 1961, p. 31.
38. H. H. Ørberg (edidit), *Cena Trimalchionis*, Montellæ 2000.
39. W. H. D. Rouse, *Latin Stories*, Oxonii 1935, pp. 77-97.

# DE ROMANO IMPERIO ORIENTALI (III)

## TRANSITVS AD MEDIVM ÆVVM

– scripsit Gaius Licoppe –

Antequam historiæ filum sequi pergamus, oportet societatis humanæ mutationem consideremus ; nam societas, qualis fuit Medio Ævo, non subito apparuit ; mutatio iam tertio sæculo incohata est, cum inter annos 235 et 285, propter vehementes barbarorum irruptiones, pestes et bella inter duces regnandi cupidos, imperium in maximo discrimine fuit. <sup>1</sup>

Ad imperium post hanc crisin designandum, Francogallus historicus Lebeau duodevicesimo sæculo usus est locutione, quæ est « Infimum Imperium » (Fr. *Bas-Empire*) ; postea Anglus Gibbon (a. 1776) locutus est de consenescenti imperio ad ruinam vergente. Studia vero historica posteriore parte vicesimi sæculi renovata sunt continua novorum fontium litterariorum inventione et archæologiæ progressibus ; methodus enim stratigraphica nihil prætermittit, neque res post prius Imperium actas. Inde rerum æstimatio mutata est ; apparet enim Posterius Imperium Romanum, funditus renovatum, novum locupletemque cultum civilem habuisse, qui nunc vocatur « Sera Antiquitas » et Medium Ævum introducit.

Tertio sæculo non solum fit mutatio imperii Romani, sed vicini barbari quoque mutantur. Præfecti Romanorum militum, qui tempore Imperii limitem tuentur, pacta pacis renovare solent et cum Arabicis tribubus et cum gentibus Germanicis secundum Rhenum Danuviumque versantibus ; contra omnino ignorant id quod evenit ultra has gentes, freti sua præstantia militari culturalique et despectionis pleni erga has societates tribales.

Deficientibus ergo Romanis fontibus, Germani archæologi plura invenire valuerunt, præsertim sepulchris effossis. Germanos dividunt in duas præcipuas partes : Germanos orientales (*Ostgermanen*) et Germanos occidentales (*Westgermanen*). Soli occidentales cum Romanis Imperii consuetudines habent. Idem, e meridionalibus Balticis regionibus oriundi, a quarto sæculo a.Ch.n. cum Celtis pugnantibus progressi sunt in mediam Germaniam et Rheni vallem. Ne ultra progredierentur impediti sunt a Romanis Gallia potitis. Tunc dividebantur in multas gentes, sed ineunte tertio sæculo coalescunt in quattuor bellicosas fœderationes, in quibus nominum mutationes non significant novarum gentium adventum. Sunt Saxones, Franci, Alamani et illi Iuthungi qui, sæpe cum Alamanis coniuncti, disparent postquam anno 260 devicti sunt.

De orientalibus autem Germanis Romani vix quicquam sciunt ; solum nomina Vandalorum, Burgundionum et Gutonum (Gothones dicuntur apud Tacitum) leguntur apud Plinium, nihil de eorum cultu et migrationibus. Serius quam Occidentales advenerunt in

Germaniam ; videntur Scandinaviam reliquisse exeunte tertio sæculo a.Ch.n. et imprimis incoluisse Chersonesum Cimbricam (hodiernam Daniam) et regionem Viadri (hodie *Oder*). Gradatim progressi sunt ad meridiem orientemque ; primi fuerunt Vandali, secuti sunt Burgundii, denique advenerunt Gothi. Anno 270 imperator Aurelianus statuit provinciam Daciam relinquere, prementibus Vandalis. Gothi Romanis primum occurrunt, cum, anno 238 ad litus Ponti Euxini pervenientes, ibi Græcas civitates a Romanis protectas aggrediuntur. Postea, anno 250, limitem Danuvii perrumpunt atque Mesiam et Thraciam diripiunt. Imperator Decius, eos regredientes aggressus, vincitur et necatur (hæc est clades Abritti). Notandum est barbarorum incursiones illius temporis non tendere ad sedem in finibus imperii collocandam, sed solum ad bona diripienda ; multos captivos ut servos secum reportant, præsertim artifices, qui in victorum pagis meliora faciant arma et instrumenta. Hoc modo gradatim minuitur Romanorum præstantia militaris.

Barbari Germani ad cultum urbanum non accesserunt, sed, vicinorum Romanorum cultu fructi, progressus fecerunt. Romani mercatores multo longius in Germaniam penetraverunt, quam legionarii. Nam per totam Germaniam orientalem inventi sunt permulti nummi Romani et varia utensilia in Imperio fabricata. Sunt etiam mercatores Romani, qui domicilium in Germaniam secundo et tertio sæculo collocaverint ; in Silesia et Brandeburgo non solum ægilopes, urnæ vitreæ et funerariæ cum Latinis inscriptionibus inventæ sunt, sed etiam magna sepulcra generis Romani cum columbariis.

Quid Romani cum mercatoribus Germanis commutare poterant ? Saponem, quem ipsi invenerant, sed quo solum utebantur ad capillos flaviores faciendos, anserum plumas, lanam et præsertim servos.

Germani quarti sæculi valde differunt ab eis a Cæsare vel Tacito descriptis. Valent enim tenuia textilia, elegantia sandalia et varias res ex corio et metallis accurate conficere. Scriptura runica generaliter utuntur, cuius litteræ a litteris Græcis et Latinis ita conformatæ sunt, ut in lignum, lapidem et metallum facile incidi possint ; quare solum constant e lineis verticalibus et obliquis, exclusis horizontalibus propter ligni fibras. Hæc scriptura videtur fere solum ad deorum cultum, magiam et inscriptiones adhiberi.

Intra quattuor prima sæcula post Christum natum eorum agricultura et pecoris pastio melior et amplior fit, quamobrem magnas silvarum partes extricant. Inde crescere non desinit gentium frequentia, qua ineunte quinto sæculo fieri poterit ut in totum fere Imperium



superfundantur. Hæc oportet scire, ut intellegamus Romanis decursu sæculorum non cum iisdem barbaris fuisse decertandum, ac tempore Cæsaris.

Apud Romanos quoque gradatim facta est regiminis mutatio. Initio Imperii regimen est principatus ; tunc in diversis regionibus superest magna libertas iuridica et religiosa ; pauci sunt ministri administrationis centralis. Romani provinciarum fidelitatem fovent, earum optimates assimilando ; sic suum cultum civilem leniter insinuant. Tertio sæculo decies fere centena milia hominum Romæ vivunt ; in Europa nulla urbs æque frequens erit ante duodevicesimum sæculum. Roma est insigne potestatis Imperii, quod inde gubernatur.

Mutatio ponderis senatus et exercitus iam incohat ex eunte secundo sæculo, tempore L. Septimii Severi, qui primus imperator proclamatur ab exercitu extra Romam (a. 193). Ab eo tempore senatus potentia minui non desinit ; pondus exercitus magis magisque crescit. A tertio sæculo imperator imprimis est vir rerum militarium peritus ; tamen eis, qui imperatores a suis militibus proclamantur, deest status legitimitus ; inde oriuntur debilitantia bella intestina. Sæpius etiam imperatores humili loco sunt orti, rudes et inculti.

Duo imperatores finem imponunt huic discrimini et fortunam Imperii restitunt. Ad statum legalem restituendum, sacram faciunt imperatoris personam. Hic est finis principatus ; dominatus vocatur regimen Posterioris Imperii.

Aurelianus (270-275) non solum hostes devincit et imperii unitatem restaurat, sed in toto imperio instituit cultum Solis Invicti ut supremi dei ; hoc modo imperii unitatem confirmare conatur. Ipse primus gerit diadema, insigne regale, a quo multa sæcula Romani abhorrerunt.

Diocletianus (284-305) diademati addit ornatissimum pallium regale. Eum adire non licet sine « adoratione » ; hoc est pallii regalis marginem basiare, genu flexo. Idem traditam curulem relinquit et in throno sedet pone aulæum, quod tollitur cum homines admittuntur. Iubet se dominum et deum vocari. Circa imperatoris personam constituitur orbis palatinus potentium officialium ; horum primarius vocatur « præpositus sacri cubiculi » ; sequuntur « primicerius sacri cubiculi » et « castrensis sacri palatii ». Apud imperatorem prævalent eunuchi, quorum fortuna ab eo omnino pendet, cum ad aristocratiam non pertineant.

Incolæ suam libertatem diversitatemque gradatim perdunt ac magis magisque vivunt adstricti certis regulis a regimine impositis. Hoc iam incohatum est tempore imperatoris Traiani (98-117) et Caracallæ edictum

anno 212 datum, quo civitas Romana omnibus imperii liberis hominibus tribuitur, solum est effectus huius uniformitatis.

Uniformitatis causa quoque Diocletianus ius Romanum ubique imperii imponit, etiam in Oriente et in Ægypto, quo grammaticos mittit ut lingua Latina ibi bene intellegatur. Uniformitatem religiosam etiam exigit, quare Manichæos imprimis, Christianos postea vehementer persequitur.

Administratio civilis fit militaris, iuridictio civilis fit castrensis. Domini imperatis oportet patienter obœdire, unde gignitur gregalis civium habitus. Mentis funditus mutantur ; corporum venustati præfertur contemplatio transcendens, ut postea fiet Medio Ævo. Sculptura hanc mutationem demonstrat ; potius enim quam res ipsa, finguntur abstracta lineamenta.

In ultima religione, quæ vult esse synthesis antiqui paganismi, i.e. neo-platonismo, proclamatur τὸ πνεῦμα (animam) a carne liberandum esse ; animam naturæ cælestis in mundum deiectam esse.

Diocletiano imperatore, apparet palatium sacrum. Per magnam aulam columnis circumdatam accessus datur in ipsum palatium ; notandum est inde ortam esse consuetudinem cuiusvis principis sedem « aulam » vocandi. In palatii vestibulo petitores silentio expectant dum tollatur aulæum atque appareat imperator deus in throno sub ciborio (i.e. umbella columnis sustentata) sedens.

Basilica christiana palatium sacrum redolet ; etiam per aulam et vestibulum (quod vocatur narthex) accessus datur in basilicam, cuius via triumphalis columnarum ordinibus ornata ducit ad absidem, ubi sub ciborio instructum est altar.

Christianismus novos mores inducit : auxilium pauperibus miserisque dandum instituit ; inde vocabulum « caritas » sensum novum acquirit ; motus asceticus etiam amplificatur. Contra societas manet patriarchalis, nec servitium abolitur ; multo tamen minus frequentes fiunt servi ; eorum loco coloni plerumque colunt agros, qui status Medio Ævo permanebit. ❖

#### I. Fontes :

Peter Garnsey et Caroline Humfress, *L'évolution du monde dans l'antiquité tardive*, Paris, La Découverte, 2004.

Yves Madéran, *L'empire romain tardif*, Paris, Ellipses, 2006<sup>2</sup>.

## DE NOVIS LIBRIS

Nuper Montella e Vivario Novo rediimus brachiis libris onustis, de quibus, sicut de ceteris nonnullis, mox plura. Unum interea tibi, bone lector, statim ostendere vehementerque commendare volumus: agitur de CAROLI FRANCISCI LHOMOND *Epitome Historiae Sacrae, brevi Christi vitae narratione addita*, integrum opus ad usum discipulorum edidit Robertus Carfagni paucissimis verbis mutatis, Montellæ, Vivarium Novum, 2009 ([www.vivarium-novum.it](http://www.vivarium-novum.it)). Francogallus sacerdos Carolus Franciscus Lhomond (1727-1794), vir tam modestum quam eruditus, qui magno amore litteras et pietatem in ludo docebat, procul dubio numquam putavit opera sua *De viris*



*illustribus urbis Romæ et Epitome historiae sacrae* ab innumeris parvulis Francogallis tam diu lectum iri. Opus *De viris illustribus* dicatum erat iunioribus discipulis, qui nondum valerent ipsos auctores legere, sed naturali curiositate impulsus multa cuperent de Romanorum historia comperire. « Pueri, scribebat in procemio, egent factis, et quidem attractivis factis: historia autem Romana est uberrimus fons, unde permulta possumus haurire. T. Livius, Valerius Maximus, Florus et alii breviori suppeditant et ipsas res et aptas locutiones. De rebus eligendis haud difficile fuit statuere: (...) documenta virtutis, clementiæ, liberalitatis, magnificentiæ, magnanimitatis accommodata sunt, qui puerorum curiositatem moveant eorumque mores conforment. Ea ergo documenta potissimum elegi. Arduum tament erat auctorum narrationes aptare. Qui hoc efficere vult, pueros debet bene novisse, eosque ita tractare ut nutrix a via diligenter amovens obstacula, quibus impediri possint. Sic oportuit sententias nimis longas curtare, ordinem verborum, cum a cursu linguæ nostræ nimis alienus erat, paululum mutare, et ita porro. Scio quidem orationem inde lædi. At sexta classis ad hoc non pertinet. »

Simili ratione Lhomondo in mentem venerat historiam sacram ita contrahere, ut discipuli eam Latine legere valerent; quam epitomen Robertus Carfagni nuper denuo edidit, claris Gustavi Doré imaginibus illustratam multisque subsidiis peropportune ornatam.

Etenim vocabula explicantur modo Ørbergiano omnibus iam bene noto (vide p. 11-13 huius fasciculi), i.e. sive aliis vocabulis Latinis, sive delineationibus; pensa proponuntur varii generis, semper iucunda; additæ sunt chartæ geographicæ, ordo temporum historiae sacrae, index nominum et index vocabulorum.

Hoc ergo opus vere laudandum, pulchrum, perutile, et magistros et discipulos multimodis iuvabit. ❧

F.D.



honor -ōris m = laus, glōria; h.em dēferre = h.em offerre

nihil adv = nullō modō | ad-ūrere = ūrere

cōn-stringere = vincīre

### 183. Trēs puerī in fornācem ārdentem coniciuntur

Nabūchōdonosor sibi posuit statuam auream, quam ab omnibus iussit adōrārī, prōpositā mortis poenā iīs, qui pārēre nōllent. Ananiās, Misaēl et Azariās morī māluērunt, quam honōrem, sōlī Deō dēbitum, statuæ dēferre. Irātus rēx eōs vestītōs et catēnīs vīnctōs coniecit in fornācem ārdentem, sed flamma nihil illīs nocuit: nec corpus adussit ignis, nec vestēs quidem mūtāvit, at solvit tantummodo vincula, quibus cōnstringēbantur, ita ut illaesī in mediā fornāce ambulārent.



# *In hoc fasciculo !*

*De Europæo Diario scholari* [F. Deraedt] p. 1  
*Nosce te ipsum !* [E. Palmén] p. 2  
*Peripedemi periegesis (IV)* [B. Walton] p. 5  
*De nonnullis ævi recentissimi titulis* [Th. Sacré] p. 8  
*Iterum de lingua Latina docenda* [S. Rocca] p. 11  
*De Romano imperio orientali (III)* [G. Licoppe] p. 14  
*Bibliotheca Latina* p. 16

*Imago tegumenti : Gustave Doré (1832-1883), Biblia illustrata : Diluvium.*

---

## LATINE LOQVI...

### CONVENTICVLVM BOSTONIENSE

Ad litus maris... Dermutæ in oppido Massacusetano, d. 1-9 m. Aug. 2009.

¶ <http://ccde.umb.edu/summerinstitute/latinbysea>

### CONVENTICVLVM LATINVM VASINTONIENSE

Seattli, d. 2-8 m. Iulii 2009 ; sessiones præparatoriæ duobus diebus ante.

¶ <http://commons.wvc.edu/sberard/boreoccidentales>

### CONVENTICVLVM LEXINTONIENSE

Lexintoniæ in America, d. 6-14 m. Iulii 2009.

¶ <http://www.uky.edu/AS/Classics/aestivumlat.html>

### CONVENTVS ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ

Ratisbonæ in Bavaria Germaniæ, d. 15-19 m. Septembris 2009.

¶ <http://academialatina.org>

### FERIÆ LATINÆ

In abbatia Sancti Michaelis Frigoletensis, 16-23 m. Iulii 2009.

¶ [www.frigolet.com](http://www.frigolet.com)

### MELISSÆ NAVIGATIO LATINA

Secundum litus antiquæ Cariæ, d. 22-29 m. Augusti 2009.

¶ <http://web.me.com/fundatiomelissa> > iter Latinum

### RVSTICATIO VIRGINIANA

In America, 13-19, 20-26 m. Iulii 2009.

¶ <http://www.latin.org>

### SEPTIMANA AMCENEVRGENSIS

Latine loqui - Romane coquere, 25 m. Iulii - 1 m. Augusti 2009.

¶ <http://www.septimanalatina.org>

### SEMINARIA SOCIETATIS LATINÆ

Tria seminaria, 18-21 m. Iunii, 2-8 m. Augusti, 16-22 m. Augusti 2009.

¶ <http://www.voxlatina.uni-saarland.de>

### SEMINARIVM VINDOBONENSE

A L.V.P.A. institutum, 2-8 m. Augusti 2009.

¶ <http://www.lvpa.de>

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$

Banque ING : 310-0644994-30,

Bic BBRUBEBB, IBAN BE15 3100 6449 9430



MELISSA